

pulsos Helvetios fuisse, satis constaret, quorum suasionibus tandem Rhæti Mediolanum oratores, qui cum Fuentano conveniant, mittunt; in foederis leges, quod anno M. CCCC. XXXIII. inter Blancam Mariam, Francisci Sfortiæ conjugem, ac Rhætorum gentem percussum fuerat, consensere. Scilicet Hispanorum ut copiis per suos fines aditum permittant; in Insubres ducturis obstruant; ni prius eos certiores fecerint, transitum aliis denegent. At Rhætorum acta omnes carpere, turbata foedera; disiectam societatem, violatum jusjurandum: quid ab iis expectari posse, qui tam cito eorum quæ pepigerant oblit, omnia perturbaverint. At vero non eadem erat in Rhætis sententia; sed in diversas scissi factiones, neque consiliis, neque viribus junctis patriam tuebantur. Ea res difficiliora amicorum auxilia reddebat, cum iis qui turpiter pacta deseruerant nil opis afferri posse, labare vero finitimam gentem, dissidentemque prope in servitutem incidere cum publicis rationibus pugnare videbatur. Neque ulla, dum foedera nuper cum Fuentano icta vigerent, concordiae ratio inveniebatur; iis enim cavebatur, ne miles, inscio atque inconsulto Hispano, alpes transgrederetur; quo Gallicam Venetamque societatem penitus diremptum ac convulsam iri constabat. Ob eas res tempus extrahebatur, ejusdemque sententiae Veneti ac Galli erant, ut Rhætis foedera servantibus omni ope juvarent. De extracta arce per Fraxineum legatum Senatus mentem Henricus exquirebat: eam & ad commercia turbanda & ad Vulturenam vallem invadendam, opportunam: ad copias autem, quo minus per eorum fines transirent, impediendas minime idoneam Patres arbitrabantur. Rex tamen eo deducebatur, ut, salvis Gallicis Venetisque foederibus, si aliquam Rhæti concordiae rationem inire possent, eam ne aspernarentur. Annus inter hæc vel diffidia vel consilia elabebatur.

Ceterum cum incredibili prope labore atque impensa ad deducendum Padum amnem excavatus alveus fuisset, jamque æstas in autumnum inclinaret, de aggere incidendo traducendoque ingenti flumine actum; cum antea qui una cum Joanne Jacobo Zannio, legato, opus inspicerent, rostra quibus amnis cursus tardari, quo commodius deduceretur, conficien-

1604

*Rhæti
Mediola-
num orato-
res mittunt
& cum Hi-
spanis con-
veniunt.*

*Rhæto-
rum diffi-
dia.*

da